


## 98 In Hipp.de Aëre,Aquis,& locis.

tardius augentur , quia maior pars materie crassæ effluit per vrinam : at hæc fuit sententia illius. Quod autem Hippocrates dicat biliosissimum & crassissimum id potius experimento quam pura ratione comprobatur. Nisi enim crassissimum esset non concreceret à calore , quod vero sit biliosissimum apparet ex colore ipsorum lapidum qui non solum sunt flavi sed etiam fulvi , quasi exustabile. Et hæc fuit sententia illius quasi in huicmodi viris multum flauæ bilis ex sua vesica defluat ad vesicam , quod mixtum est terreæ & crassissimæ parti humorum convertatur in lapidem. Addit Alemanus ex Principe interdum in his qui lapidem habent vesicæ connexum adeste vrinam cum arenulis & hypostasi furfurea.



### LECTIO LIII.

*Super*

#### TEXT. XXIX. & XXX.

**F**it autem pueris etiam ex lacte , si non salubre id fuerit, sed valde calidum & biliosum. Ventrem enim percalefacit, & vesicam. Quare vrina, dum adurit, hæc patitur.

**R**ursus hic ex quarto de Morbis hæc rectè inquam ab Alemano citantur, (pag. 15.) & cum tota illius serie adiecimus, nam & quæ Alemanus addit hic opportuna sunt. Cæterum calculi morbo principium obortitur à lacte , vbi puer lac sugit, lac autem in nutrice, impurum sit, si pituitosis cibis ac portibus & alimentis impuris nutrix vtatur, conferunt enim omnia in ventriculum illabetia ad lac. Habet autem & hæc res se hoc modo. Si nutrix non sana fuerit, sed biliosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, lac etiam malum pueru generat. Consentient enim corpus & ventriculus. Plurimum verò ipsi ad lac cedit de eo quod ipsa plurimum in se ipsa habuerit. Et puer si de nutricæ lac purum non suixerit, sed biliosum, velut dixi, morbosus sit ac debilis, & in præsens maxime afflitgitur, quandiu lac prauum ac morbosum suixerit. At vbi non suixerit lac non purum, sed terreum & pituitosum, & habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam tendentes amplas ac attrahentes. Procedit autem & quod babit nutrix & lac in ventriculum pueri tale, quale trahit à ventriculo de lacte, in totum similiter prot' venæ in ventriculum detrudere possunt. Si quid sanè in lacte non purum fuerit, id quod vesica fruietur, lapis sit hoc modo, velut in aqua non pura in calice aut vase æneo turbata & rursus sedata, fœx aceruata sit in medio, sic sanè & in vesica de vrina non pura existente. Et non per vrinam eiicitur, ut quæ in cauo sit loco, & maximè cum aceruatur: præ dolore permissionem non pertransit, & à pituita cruda concrescit. Glutinum enim sit pituita ad femem admixta. Et primum parua lanugo superstat, deinde quod accedit sit arenosum,

glutino fiente pituita quæ est in vesica de lacte, & augetur: & quicquid humoris in glutinatione accesserit emingitur. Rursus autem fœx solida sit, & lapidis speciem accipit, quemadmodum ferrum ex lapidibus ac terra dum comburuntur sit, & in prima quidem in ignem immisione conglutinati sunt lapides, cum terra adferri recrementum. At vbi iterum atque iterum in ignem immissa fuerint, recrementum quidem foras decedit liqueficens ferro, id quod ita fieri oculis videamus. Ferrum autem in igne relinquitur, & recremento recedente subsidet, sitque solidum ac densum, sic profecto etiam sex in vesica, dum pituita glutinum sit, emingitur id quod ab vrina liqueficit, fœx autem subsidet & densatur, ac solida sit velut ferrum, vbi vero subsedit, ac solida facta est, sursum ac deorsum in vesica volutatur, & feriens vesicam dolorem inducit, & si vehementer feriat, aculceret, aliquid de ipsa aufert. Verum id quod insuper assertur adhuc magis quam id quod arenosum decessit, concretionem efficit, atque tali modo lapis sit de lacte in vesica: & si pueru anxietas aliqua ab hoc oboviatur, aliàs atque aliàs vbi meiere vult vrinæ meatum apprehendit. At si pueru iam adulto lapis gignatur ex terræ esu, dolor non adest nisi prius quam ipse sibi ipsi cibum deligat. Cæterum morbus signa quinque habet, nam vbi meiere vult, dolore affligitur, & vrina paulatim fluit, velut in vrinæ stillicidio: & est suberuenda nimirum vesica à lapide exulcerata, & vesica inflammata est. Verum hoc signum inconspicuum est, indicat tamen summa pars præputij, quandoque mingit arenosa, eiicit aliquando lapides duos, aut etiam plures paruos eodem modo generatos, ut de uno dixi. Hactenus Hippocratis verba quod ad huius sententiae intellectum mirum conducere videatur recensere volui, ex quibus colligere licet, nutrices nigras, biliosas cæteris non esse præferendas, harum lac cum sit calidum & biliosum, facile vesicam & cæteras partes calefacit, qua vrinæ aduruntur, cuius & loci admistione pars crassior lapidescit. De lacte Dioscorides, (libro 2. capite 63.) probat lac candidum mediocre, & quod vngui impositum non diffluat: Paulus septem notas boni lactis ponit: quod mediocre sit & laudabile substantia, colore, odore, sapore, copia, quod impositum vngui claritatem habeat æqualem, ac mediocriter diffluat, denique quod coagulo in vitro vase coactum, tam sero sum quam & solidæ substantiae mediocritatem obtineat. Aristoteles inquit, 3. de Natur. animal. capit. 21.) His qui lactantur utilis lac est, quod ad liuorem trahat quam candidum, lac igitur quod optimum atque mediocriter spissum, non candidissimum est ut nix: sed nec liuidum, at quasi ad liuorem declinans, quod enim obscurum quoquomodo est, non adeò est aquosum. Sed omissa de lacte disputatione, dicimus calculos interdum à renibus in vesicam descendere, ibique ob crassitiem retineri, & temporis progressu angeri aliis humoribus crassis & lentis qui se illis in vesica coniungunt, adiectis atque induratis.

Quomodo